

(q) *Trallianus* l. c. *Paulus Aegineta* l. 3. c. 27. *Senn. d. l.* *Dom. Leoninus art. med. hum. & part. morb. lib. 1. f. 2. c. 6.* *Vidius* lib. 8. c. 4. *Capivaccus* l. 1. c. 53. *Hercules Saxonia* med. pract. lib. 1. c. 26. *Manardus* epist. med. lib. 7. c. 30. *Trinca del. enchrid. med. lib. 4. f. 6. cap. 5.* (r) lib. 2 c. 5. (s) de part. spirab. morbis cap. 1. (v) *Consil.* 120.

eam adjiciunt, quæ oritur ex luxatione vertebrarum colli. (q)

§. 1. Prima species vocatur *κυνάγχη*, aut etiam *λυκάγχη*, (r) *Mercuriali* (s) *Heurnio*, eò quod canes & lupos sæpius infestet, sive quod eã correpti canum instar & luporum æstu nimio sitientium linguam exserant. Oritur, quando inflammatio in internis laryngis seu gutturis musculis delitescit, tumore neque intus neque foris in cervice conspicuo. Est omnium gravissima & periculosissima ob ingentem dolorem adjunctum, magnamque respirandi difficultatem, adeò quidem, ut ægri erectã cervice, oreque hianti, & linguã exertã spiritum ducere cogantur, & nisi sedulò à Medico tractetur, citò ægrum jugulare valeat. Refert namque *Joannes Baptista Montanus* (t) se vidisse Venetiis matronam intra quatuor horarum spatium extinctam.

§. 2. Altera est *σφακινάγχη*, quæ fit, ubi externi præcipuè gutturis musculi inflammatione tentantur, tumore intus manifestè conspecto.

§. 3. Tertia insignitur *σωνάγχη*, fortè quod sues crebrò hãc ægritudine vexentur: in hãc musculi faucium interni afficiuntur, cervice ad linguæ radicem simul comprehensã, & tumore intus ac extus adparente.

§. 4. Ultima audit *σφασωνάγχη*, in quã musculi externi faucium sunt inflammati, ubi non rarò tumor ad pectus usque extenditur.

§. 5. Et hæ sunt differentia à Græcis introductæ, quas tamen *Galenus* & *Hippocrates* non semper observant: imò hanc nominum inquisitionem reprehendit *Galenus*, & velut superstitiosam & supervacuum rejicit, cum (u) ita scribit. *Hoc nimis curiosum nominum studium rerum ipsarum negligentiam & contemptum peperit, sicuti iis evenit, qui circa nomina nimium occupati, qua utilia sunt, prætermiserunt: itaque modò rem ipsam intelligamus, de nominibus parum est laborandum.*

§. 6. Anginam, quam ex luxatione vertebrarum colli pro-

(u) 4. de rat. vict. 30. & 4. de locis affectis. 3.